SCHOLA ORTHODOXA
Novem Catholicas Diatribas offert Sanctissimo Patri, ac Domino nostro

BENEDICTO XIV.
PONT. OPT. MAX.

PROMOVENTE SERENISSIMO D. D.

D. HENRICO BENEDICTO
STUARD SOBIESKI,
Duce Eboracensi, S. R. E. Cardinale, ac Bononiæ Archiepiscopo.

AUTHORE
P. F. LUCA RAMIREZ GALAN, MINORITA HISPANO, Almæ Angelorum Provinciæ Alumno, Sacræ Facultatis Theologiæ Doctore, Archiepiscopatus Hispalensis Examinatore Synodali, Supremæ Inquisitionis Hispanæ Qualificatore, ac in Magno D. Antonii Paduani Conventu Hispalensi, Sacræ Theologiæ Lectore Vespertino.

Hispali: permissu Superiorum. Anno Domini 1750.

EPISTOLA DEDICATORIA.

SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO BENEDICTO STUARD SOBIESKI,

DUCI EBORACENSI CELSISSIMO, &c. &c. &c.

FR. LUCAS RAMIREZ GALAN

Bellarcensis, Minorita Hispanus, utramque sospitatem adprecatur, & omnia fausta.

BREVICULUM hoc, seu Specimen Sacræ Panopliæ Militantis Ecclesiæ, SERENISSIME DUX EBORACENSIS, CARDINALIS AMPLISSIME, quo septem Catholicas

Diatribas propoſuimus, SS. Patri, ac Domino noſtro BENEDICTO XIV. promovendum, quoque quidquid eſt in Scholis Diſciplinæ Sacræ, ac Philoſophiæ Sæcularis in Aulis Peripateticis recludere moliebamur; pro noſtra in Domum Stuardorum Auguſtam obſervantia ſingulari, ac pietate, Clariſsimorum Ordinum Prædicatorum, ac Minorum nomine, R. C. T. inſcriptum, ante paucos menſes ſecundò evulgavimus.

Sublatis autem, & conſumptis utriuſque pariter ejus editionis exemplaribus, tertiam hanc aliis duabus novis Diatribis adauctam, altera ſcilicet, quâ ampliſsimum SUARISTICÆ SCHOLÆ Syſthema complectimur; altera, quâ Sacroſanctæ Fidei Orthodoxæ Dogmata aſſerenda proponimus, eorumdem Clariſsimorum Ordinum nomine, ac SOCIETATIS *JESU* Clariſsimæ, eâ, quâ priores illas, animi reverentis alacritate, R. itidem C. T. inſcribere non dubitamus.

Munuſculum planè exiguum, nec tanti Mecœnatis obtutu dignum reputaverit quiſquis cum offerentis humilitate oblatum contulerit; tametſi ex cæteris adjunctis, ex Objecto præcipuè, contemptibile non adeò eſſe deprehenderit fortaſsè rerum æquus æſtimator.

Sed habent Scholaſtici Doctores, habet, &

hæc

hæc Scholaſtica Fidei noſtræ Myſteria diſquirendi, ac tuendi methodus plurimorum invidiam, à Deſertoribus Eccleſiæ priùs conflatam. Uvicklefum appello, qui Catholicas Academias, in quibus ea methodus floret, & præcipuè traditur, *Caſtra Cainitica* audet appellare. Uvicklefo Prodromo ſuffragatur Aper Germanicus inceſtiſsimus Lutherus, *Anti-Chriſti lupanaria* Academias eaſdem per blaſphemiam appellans. Nec mitiùs in Scholaſticos Doctores invehitur Picardus peſsimus, iſtorum Apoſtatarum ſectator Joannes Calvinus, qui paſsim in inſtitutionibus ſuis eoſdem mille proſequitur maledictis, mille laceſsit, & proſcindit injuriis: jam enim Aſinos cornutos, jam Beſtias bipedes, & Sophiſtas; eoſque velo Chriſtum texiſſe, & innumera mala Reipublicæ intuliſſe Chriſtianæ calumniatur egregius Ipſe ſophiſmatum, falſitatis, & mendaciorum Artifex.

Pari penè petulantia Calvini veſtigiis inſiſtens Janſenius Iprenſis, Scholæ Theologis ſummoperè infenſus, in eoſdem debacchatur; omnibuſque conatur artibus adducere in contemptum. Jam enim negligentiæ, vel oſcitantiæ in Sanctorum Patrum Scriptis evolvendis; jam ignorantiæ craſſæ in rebus Fidei intelligendis; tum temeritatis, & audaciæ in eiſdem ſuo

ſenſu explicandis;tum effrænatæ libertatis,ac licentiæ in exciendis, ac diſſerendis quæſtionibus ineptis,inutilibuſque, aliorumque id genus mille criminum, Scholaſticos Doctores Novator temerarius audet accuſare.

At planè mirandum non eſt, ſi lupi canibus, ſi defugæ pietatis,& Eccleſiæ perduelles,ſic Propugnatoribus Fidei, & Veritatis Aſſertoribus infenſi ſint. Sed plorandum valdè parem propemodùm invidiam Theologis Scholaſticis parari â nonnullis, nec exigui meriti, Viris Catholicis, quos nobiliſsimæ Artis criticæ nimiùm præceps abripuit abuſus ; quorumque nomina, quantùmvis alioquin illuſtria, hìc recenſere pudet. Sed audiendus eſt Magnus Parens Auguſtinus *de Doctrina Chriſtiana*, lib. 2. cap. 31. *Diſputationis diſciplina*, inquit, *ad omnia genera quæſtionum,quæ in literis ſanctis ſunt penetranda, ac diſſolvenda, plurimùm valet: tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium.*

Quam quidem rixandi libidinem, ac decipiendi oſtentationem, jam tum ab ipſis Eccleſiæ primordiis heterodoxis familiariſsimam, ut nemo Eccleſiaſticæ gnarus Hiſtoriæ neſcit, dedignati ſunt Patres noſtri, ac modò dedignantur, qui verè Theologi cenſeri merentur. *Sunt*

mul-

multa, fatemur cum Auguſtino, ubi ſuprà, *quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plerùmque ita veras imitantes, ut non ſolùm tardos, ſed ingenioſos etiam minùs diligenter attentos decipiant*: quorum plurima invexit pravitas hæretica; & niſi Patres noſtri priùs, ac poſteà Scholaſtici Doctores in confractione ſtetiſſent; jamdudum profectò in prædam, in direptionem, & in conculcationem Aſſertoribus impietatis Eccleſia ceſsiſſet.

Quas ergo cavillationes,& argutias ineptiſſimas,in perniciem veritatis introduxerat hæretica perfidia Sabellii, Pauli Samoſateni, Arii, Eunomii,aliorumque id genus antiquarum Eccleſiæ peſtium; & ex orco ſuſcitavere Uvicklefus, Lutherus, Calvinus, Servetus, uterque Socinus, Bucerus, Janſenius,Paſchaſius Queſnel,aliique bene multi recentiores Sectarii:eaſdem diſciplina diſputationis, dialecticiſque ratiociniis, ſubtilibus quidem, ſolidiſsimis tamen, claris, & apertis, per Sanctos Patres jam pridem, per Scholæ deinde Doctores propulſari oportebat; nè fallacia veritati detraheret, aut veritas errori ſuccumbere videretur.

Quæ non præſtitere Ordines Clariſsimi Prædicatorum, ac Minorum, per Alumnos ſuos Albertum Magnum, D. Thomam, Herveum,

Durandum..... Alexandrum Halensem, D.Bonaventuram, Scotum, Ochamum, Mayronem, Aureolum, aliosque penè sinè numero?

Veniam autem ad SOCIETATEM *JESU*, Quam ipse Dominus JESUS, Adjutor Fortis in opportunitatibus, per Virum illum Seraphicum, ac verè Divinum, per Sanctum, inquam, IGNATIUM DE LOYOLA instruxit; quo tempore dira omnium impietatum, errorumque evomita ex Erebo colluvies, Ecclesiam impetiverat, signa perfidiæ conferentibus Luthero, Calvino, Serveto, aliisque.

Sanè muneris nostri impræsentiârum non est, HENRICE SERENISSIME, neque propositi, Celsitudinem tuam morari, immensam retexendo messem omne genus Sanctitatis, ac Doctrinæ, per SOCIETATEM *JESU* in Ecclesiæ Gazophilacia invectam. Per pauca ea, quæ breviter, ac raptim adumbrat Imago primi ejusdem SOCIETATIS Sæculi, multa quidem inspicere, dispicere plura, plurima cuivis conjicere licuerit.

Ad rem porrò nostram quod attinet; extitere ex hac SOCIETATE, ceu ex Equo Trojano, Summorum Theologorum Phalanges, quorum vel minimus erat in mille, atque ad bella in hostes Ecclesiæ gerenda doctissimus. Atque ut cæteros ego prætermittam; quis numeris omni-

nibus absolutior Viro illo mirabili, atque omni laude dignissimo, VENER. P. FRANCISCO SUAREZ, DOCTORE verè EXIMIO, ac SANCTO?

Ille mihi videtur (loquitur de hoc EXIMIO DOCTORE, & verissimè prædicat P. Richardus Lynceus Jesuita Hibernus, subtilis, solidus, & elegantissimus) *cùm se totum, ad veterum Scholasticorum lectionem contulisset, effinxisse Majestatem Thomæ, & æquabilitatem, Gravitatem Alberti, Claritatem Durandi, Subtilitatem Scoti vegetam, atque discussam, Copiam Halensis, Soliditatem Bonaventuræ, Inventionem Ochami, Acumen Gregorii, Distinctionem Gabrielis, Vim Bachonii, Profunditatem Henrici, & in summa, quidquid in unoquoque præstantissimum eluxit.*

Perpendant ergo Critici, saltèm Orthodoxi, plùs æquo, nec raró ultra legem prosilientes, dictum Sapientis: *Ubi non est Sepes, diripietur Possessio*; & parcant de Theologis Scholasticis maledicere, ac Satellites fidos Gregis Christi, & Ecclesiæ Pugiles; in sese revertentes tandem revereri condiscant.

Sepem hanc munitissimam, inexpugnabilemque Vineæ Domini circundedit Venerabilis Anglus noster, Doctor Doctorum Irrefragabilis, Alexander Halensis; auxit Angelicus Doctor

tor ejus discipulus, & mille propugnaculis ornavit; cui Doctor Seraphicus, itidem Magni Halensis discipulus, deservit ut Murus ignis in circuitu; V. P. N. Joannes Scotus, Doctor Subtilis, ac Marianus, subtilibus communivit; Doctor denique EXIMIUS proximè laudatus, denuò substruxit, refecit, ampliavit, penè dixerim, *Architectonicè*.

Horum quinque Scholæ Summorum Principum Opera Scholastica universa, Placita, ac Momenta jamdudum discussa, ac probata, scholastico iterum criterio probanda, in clientelam R. C. T. gestiunt introire; amplissimam ambientes protectionem. Eisdem quinque Academiarum Catholicarum, atque adeò Ecclesiæ Catholicæ Luminaribus, adjungere non veremur Theodidactam Virginem Mariam à Jesu de Agreda, Deiparæ Biographam, novam scilicet Sublimissimarum, juxta & Orthodoxarum Sententiarum Magistram.

Triplicem prætereà paramus Concordiam, quarum primam, ut facilem, sic & summè necessariam judicamus, Doctoris Subtilis cum Angelico; horum deinde, quæ secunda erit, Concordiam cum Magno Parente Augustino; ac tertiam denique Sententiarum Venerabilis Virginis Agredensis in *omnibus*, nulla prorsus excep-

ta, cum Sententiis ejusdem Virginei, & Angelici Doctoris D. Thomæ.

Habes ergo, Serenissime Mecœnas, Infulate Nobilissime, habes, inquam, præ oculis, uno veluti intuitu, quidquid est in Scholis Aristotelicæ Philosophiæ, quam plùs accommodam, aptioremque judicamus, ad Sacrosancta Fidei nostræ Mysteria explicanda; habes & Sacræ Facultatis Theologicæ totius, veluti in germine, evolvendæ Specimen.

Hæc, de Sacra enim Theologia loquor cum nobili Theologo Gonetto: *Hæc*, inquam, *est Sacrum Ecclesiæ Armamentarium, ex quo Doctores Catholici, & Fidei defensores eruunt Scuta, Tela, Lanceas, Gladios, cæteraque bellica instrumenta, quibus Hæreticorum audaciam repellunt, & omnes eorum impetus retundunt. Hæc Turris David, ædificata cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium. Hæc Davidis Funda, ex qua quinque limpidissimos lapides, Legis libros adumbrantes, vibrant Doctores Orthodoxi; ut insurgentes Catholicam contra veritatem Hæreticos funditùs evertant, prosternant, ac jugulent. Hæc ejusdem Davidis Gladius, quo infernalis Goliath caput truncatur. Hæc est inexpugnabile veritatis Scutum, quo circundatus Christianus, omnia inimicorum tela facilè repellit.*

pellit.

pellit, & feliciter eludit. Hæc acutissima Spiritus Sancti lancea, penetrabilior omni gladio ancipiti, qua hostes Christianæ Fidei configuntur. Hæc demum est Christiana Minerva omni ex parte armata, quæ non ex Jovis cerebro, sed ex Dei mente procedit: est enim Scientia Divinæ veluti quædam effusio, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei, ut dicitur Sapientiæ 7.

Ad idem est Eminentissimus Cardinalis de Lugo: *Non desunt*, ait, *qui Theologiam Scholasticam parùm sibi utilem, parùm moribus accommodam arbitrati, vel leviter comparant, dum Scholas frequentant, vel relictis Scholis facilè derelinquunt, totique in Moralem, aut in Positivam, quatenus Concionibus, aut Confessionibus deserviunt, incumbunt; sed falluntur profectò, atque præstantissimo jucundissimæ Scientiæ fructu privantur. Nam primò inter omnes Theologiæ partes nulla præstantior, nulla dignior, nulla, quæ magis Theologiæ, vel Sapientiæ (quæ æternis contuendis, consulendisque insistit) nomen mereatur; longè quippe præstantius est de rebus Divinis, nimirum de Divinis perfectionibus, de Sanctissimo Trinitatis Arcano, de Cœlestibus Spiritibus, de Incarnationis, & Eucharistiæ Mysterio, de Visione Dei, fœlicitateque perenni, vel pauca cognoscere, quàm plurima de rebus creatis,*

tis, de inventis, & institutis humanis, aliisque rebus, quarum usus solùm ad hanc vitam spectat.

Præclarè quidem Anastasius Synaita lib. 1. in Hexameron, Theologos *Aquilas* appellavit, quibus ab Authore naturæ tam acris oculorum acies indita est, ut Solem ipsum defixè intueantur: & filios, quorum oculi conniveant ad tantæ lucis adspectum, reputent adulterinos. *Est sanè Theologia,* subdit acutissimus P. Jacobus Granado, *Oculus Spiritualis, quo Author gratiæ Artifex Sapientissimus mysticum Ecclesiæ corpus decoravit, ut ipsum Justitiæ Solem, quoad fert humana conditio, intueatur, sive Orientem, cùm in creaturarum conditione unitatem eximiæ suæ pulchritudinis manifestat: sive nobis præsentissimum in ipsa meridiana luce Incarnationis: sive Occidentem in dira morte, quam pro nobis subiit, ut ex ejus in Cruce dormientis latere Ecclesia Sacramentorum fontibus irrigua formaretur: sive cùm in arcano Trinitatis Mysterio posuit tenebras latibulum suum. Tanta est hujus Cœlestis Oculi præstantia, ut Solem ipsum, Deum nimirum, etiam ubi maximè latet, attingat, & in mediis tantæ Majestatis tenebris lucem inveniat. Quòd si interdum Scholastici nonnulli, vel inutiles disputant quæstiones, vel errores, aut minùs probabiles opiniones docent, vel*

impolito ſtylo, & minùs apta methodo inſulſam reddunt Doctrinam ſapidiſsimam, non eſt vitium Sacræ Theologiæ; ſed aliquorum Theologorum: quibus tamen ex parte parcendum eſt, quia nec omnes, nec tam citò perfectionem Scientiæ aſſequi potuerunt.

Hæc de laudibus Sacræ Facultatis Viro fideli, & Orthodoxo fidem abundè aſtruunt: foris canes, & venefici. Ad Doctores porrò noſtros ut revertar, nulla eſt in Schola tota Sententia Philoſophiæ, ut præfertur, Ariſtotelicæ, aut Sacræ Theologiæ Theologos inter Thomiſtas, Scotiſtas, Jeſuitas, aliarumque Scholarum Alumnos, quam de mente omnium quinque ſimul Doctorum, aut ſingulorum reſpectivè ſeorſim defendere, non ſimus parati, noviſque promovere momentis intrinſecis, ubi opus fuerit. Faveat tantùm per Te, Sereniſsime Dux, Infulate Nobiliſsime, Sanctiſsimus Pater, ac Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Pontifex Optimus, Maximus, Doctiſsimus. Clientibus illis Tu digniſsimus es; Illi Te Regio Mecœnate, & Hyperaſpiſte digniſsimi. Vive in ævum, & plurimùm vale; exiguumque hoc germanæ humilitatis Clariſsimorum Ordinum Prædicatorum, Jeſuitarum, ac Minorum obſequium, æqui boni conſule.

CON-

CONCLUSIONES *publicè defenſandæ* Hiſpali in Conventu SANCTI ANTONII DE PADUA.

SIngulis diebus *(quantum in nobis fuerit)* menſium Octobris, ac Novembris hujus evolventis anni milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi, *Defendimus* Opera omnia Scholaſtica, Philoſophica, ac Theologica; inſuper & Momenta ſingula ſeorſim, ac diſtinctè: 1. Doctoris Irrefragabilis Alexandri Halenſis. 2. Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis. 3. Doctoris Seraphici D. Bonaventuræ. 4. Doctoris Subtilis V. P. N. Fr. Joannis Scoti. Opera, inquam, ac Momenta ſingula uniuſcujuſque Doctoris, ad ſenſum ſuorum *reſpectivè* Commentatorum, & Aſſeclarum. 5. Concordiam aſtruimus obviam, ac planiſsimam Doctoris Subtilis cum Angelico Præceptore, & è converſo: inſuper & amborum Concordiam in *omnibus* cum Magno Parente Auguſtino. 6. Syſthema

SCHO-

SCHOLÆ JESUITICÆ universum, qua latissimè patet per omnia Opera Philosophica, ac Theologica V. P. FRANCISCI SUAREZ, DOCTORIS EXIMII. Speciatim autem totam Materiam de Auxiliis, juxta Subtilissimi, ac Sapientissimi Viri Patris Ludovici de Molina in Libro Concordiæ, & ejusdem paulò antè laudati DOCTORIS EXIMII mentem, sensumque; quem dicimus, & asserimus esse conformem Sacræ Scripturæ, Conciliis, præsertim Tridentino, SS. Ecclesiæ Patribus, ac Doctoribus, ac præsertim Magno Parenti nostro D. Augustino, Angelico Doctori nostro D. Thomæ Aquinati, Subtili, ac Mariano Doctori nostro V. P. Joanni Scoto; & expresse contineri in Textu Seraphici Doctoris nostri D. Bonaventuræ. Addimus *insuper*: nullam prorsus objectionem in hoc Systhema de *Scientia Media* exsuscitatam fuisse per Theologos Præ-aut-Condeterminantes, cui plenè, & adæquatè satisfactum non sit per Theologos SOCIETATIS. 7. Libros Mysticæ Civitatis Dei, Acta Vitæ Sacratissimæ Virginis Deiparæ explicantes, â Candida, ac Theodidacta Virgine Maria â Jesu de Agreda conscriptos, in singulis Sententiis orthodoxos esse, ac Cœlesti doctrina refertos, Momentis intrinsecis permoti asserimus. 8. Doctrinam in prædictis Libris

Mys-

Myſticæ Civitatis Dei contentam, univerſam ſtatuimus eſſe conformem, ac ſummè conſonam Sacræ Scripturæ, ac Traditioni, Sanctis Eccleſiæ Patribus, Conciliis, Doctoribus Scholaſticis, ac præſertim, & *Specialiſsimè*, D. Thomæ Aquinati. Gnari Lectores facilè ex dictis perceperint, nullam eſſe in Scholis Catholicis Sententiam, ſive inter Thomiſtas, ſive inter Scotiſtas, ſive inter Jeſuitas, ſive inter Ægidianos, ſive inter Bachoniſtas, aliarumve Scholarum Alumnos, quam aut *defendere*, dummodò verè, & intrinſecè probabilis ſit; aut penitùs, & funditùs *expugnare*, ſi minùs habentem compererimus, parati non ſimus. 9. *Tandem:* Dogmata univerſa Eccleſiæ Catholicæ *propugnanda* amplectimur, ac *demonſtranda* ut evidenter credibilia, adversùs *Atheos*, *Deiſtas*, *Socinianos*, *Mohammeddanos*, *Judæos*, *Proteſtantes quaquà graſſantur*, cæteroſque quoſvis falſorum Dogmatum Sectarios.

O. S. C. S. R. E.